



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Theodosii Imperatoris morte. Capvt XXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

& ninianū , impiè occupatæ tyrānidis eum in memoriā reuocat . Deinde bellorum contra imperium legitimum susceptorum causa cum irrisione reprehendit . Reprehendit etiam statuam Herculis , qua fretus tam audax temerariūq; facinus admiserat . Postremo iustā æquāq; de supplicio illi irrogando sententiam pronuntiat . Talem se Theodosius tum in pace, tum in bello præstitit : quippe semper diuinū implorauit auxilium, semperq; illud consecutus est.

*De Theodosii Imperatoris morte .*

CAPVT XXV.

**H**Ac parta victoria , Theodosius in morbum delapsus, filiis imperium distribuit: ac maiori natu eam parrem, quam ipse rexerat, minori autē Europæ tradit gubernacula . Vtrunq; veram pietatem colere hortatur. Ea enim & pacem conseruari, bellum extingui, hostes in fugā verti, trophea erigi, & victoriam denique constare . Hac hortatione filiis adhibita, obiit mortem, cuius gloria sempiternæ memoriæ commendata est .

*De Honorio Imperatore, & Telemacho  
monacho. CAP. XXVI.*

**F**ilij istius Imperatoris, sicut successores paterni imperii ita pietatis illius hæredes extiterunt . Nam Honorius Europæ potitus imperio, pugnas gladiatorias quæ Romæ olim fieri consueuerant, tali inductus occasione sustulit . Telemachus quidam vitam excolens monasticam, profectus ex oriente , hac de causa Romam contendit . Ac dū sceleratum illud edebatur spectaculum, in stadium ipse ingreditur, atq; ad gladiatores descendens , mutuum inter eos dimicationem sedare nititur . Itaque crudelis cædis spectatores accēsi iracundia , & à dæmone, qui ex illa sanguinis effusione voluptatem capiebat, ad furorem impulsī, pacis authorem lapidibus obruerunt . Qua re cognita , Imperator admirabilis Telemachum in martyrum inuictorum numerū ascripsit , crudele autem illud spectaculi genus penitus sustulit.